

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
OSCITATIONE

AUCTORE
FR. CHRIST. ROTHMUND

Medic, Chirurg, et Art. obstetr. Doctor.



Würzburgi 1824.
Typis Caroli Guilelmi Becker, Universitatis Ty-
pographi.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS ET DOCTISSIMIS;

D O M I N O

J. B. F R I E D R E I C H,

Philos. Med. et Chir. Doct., Medicinae Professo-
ri publico in Univers. Wirzburgi, orphanotro-
phei, quod Wirzburgi floret, medico ordinario,
plur. societ. litter. socio, etc.

NEC NON

D O M I N O

C. C. H A U S M A N N,

Med. et Chir. Doct. ac medico forensi regio Det-
telbacensi,

VIRIS SUMMOPERE COLENDIS

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

Auctor.

PROOEMIUM.

Quocunque in hominum vita rarius apparet, id maxima pars hominum majori studio majorique inquisitione dignatur, quasi gravius eo, quod fere quotidie nobis ante oculos ponitur; hocce enim quasi vile, studioque indignum putatur; nonnulli etiam propter sequentiam id sibi declarant levibus ex causis, quas etiam non satis explorant, nempe sibi putant notam, quae maxime ~~is~~ latet. His igitur ex causis res frequenter accidentes a maxima eorum parte, quorum est, eas inquirere, negliguntur.

Idem venit in oscitatione, quam videmus in omnium nobiliorum

animalium vita. Esset igitur, cur physiologiae et pathologiae studiosi multum operaे in hac re accuratius tractanda consumerent. Quam vero omnino non perscrutantur plurimi commoti vana opinione, omnes satis hoc phaenomenon intelligere; quam ob causam labore, ut rem accuratius indagent, se supersedere putant. Quique nobis hac de re aliquid produnt, satis habere videntur, explanasse mechanicum oscitationis actum. Et eo silencio, quod semper de physiologia et pathologia scribentes servant, ipse lector saepissime adducitur, ut rem cum auctore spernat, eamque investigandam non suscipiat. Accurata vero utens exploratio-ne, nemo erit, qui non inveniat, oscitationem magni esse momen-ti, vixque ullum aliud phaeno-menon hominis organismi exis-

tere, quod minori cum studio sit tractatum, idque hac ex causa, quod rei perscrutatio non nisi summo studio ac labore fieri potest. Magnae multaeque nobis obsistunt difficultates, si oscitationis actu-m, qui in vita toties repetitur, contemplamur, suscipimusque ex-plicandam nobis propositionem: „quae sit oscitationis natura, qua-lis ejus effectus?“

Obscuritas solummodo remo-veri potest comparandis inter se multis factis, et omnibus perscrutandis vitae statibus, queis hunc actu-notatu dignum esse productum aut conjunctum, experientia do-cet. Hac ratione ad veram osci-tationis effectus cognitionem per-venire licet. Facile enim intelli-gi potest, hunc naturae actum non minus, quam levissimum quem-que, non absolutum, quin ex aliis originem trahat, consistere, cum

in universa natura unitas est in totalitate, et vice versa; igitur nil potest inveniri, quod omnino separatum sit.

His ergo, quas memoravimus, adducti, de oscitatione haec pauca conscribere statuimus. Si quid vero forte oscitanter conscriptum reperiatur, id, quod non dubitamus, veniam nobis a benevolo lectore precamur, eo magis, quod me ipsum has lineolas conscribentem oscitationis nisus quandoque corripuit.

LITERATURA.

Brevem de oscitatione diaskepsin proponunt Praeses M. Jeremias Lossius et Respondens Godofredus Schneider. Lipsiae 1664. 4.

Dissertatio physica de oscitatione, Praeside D. Valentino Alberti, Respond. Joh. Benj. Beutler. Lipsiae 1687. 4.

Gottlob Ephraim Hermann, dissertatio medica inauguralis de oscitatione et pandiculatione. Altorf. 1720. 4.

Dissertatio inauguralis medica de oscitatione, Praes. Dn. D. Michaele Alberti, Respond. Fried. Esrnarch. Halae Magdeburgicae 1757. 4.

De oscitatione, moderatore D. Aug. Frid. Walthero, disputabit M. Justus Godofredus Gunzius. Lipsiae 1738. 4.

De oscitationis mechanismo, Praeside A. E. Buechnero, disputabit J. David Czerniewski. Halae Magdeburgicae 1749. 4.

Joh. Bartholini diss. de pandiculatione. Lips. 1648. 4.

Th. Balth. Haveri de oscitatione diss. Eugd. Bat. 1744. 4.

- D. Ernst Bartels, die Respiration als vom Gehirn abhängige Bewegung und als chemischer Proces, nebst ihren physiologischen und pathologischen Abweichungen. Breslau 1813. 8.
 J. F. Pierer anatomisch-physiologisches Realwörterbuch. Leipzig 1819. B. III. p. 477.

§. 1.

Oscitatio, Oscedo, Chasme, Chasmos, Gähnen, Hogähnen vel in vulgus notis phaenomenis adnumeranda, est singularis quedam respirationis forma, cuius vera indoles tamen problematibus, quibus physiologia abundat, adnumeranda est.

§. 2.

Est oscitatio actio adeo composita, ut difficillimum negotium sit, singula, ex quibus componitur, momenta extricare, eorumque nexus et ordinem exponere.

Omnia tamen oscitationis phaenomena ad quatuor reduci posse ordines censeo, nempe:

Primo est oscitatio singularis quedam inspirationis forma, ipsique insunt omnia, quae etiam ad inspirationem ordinariam pertinent, momenta.

Secundo fuit quidam motus, a quibus singularis noster inspirationis modus characterem habet, et sine quibus vel oscitatio cogi-

tari nequit, vel, qui saepius in oscitantibus contingunt, vel qui ex oscitationis actu tanquam sequelae fluunt.

Tertio oscitans quasdam sensations percipit, quae vel ad oscitandum invitant, vel ipsum oscitationis actum comitantur, vel eum sequuntur.

Quarto denum hinc inde sonus quidam leviter ululans percipitur.

§. 3.

Sicuti in omni respiratione, dum inspiratur, organa respiratoria expanduntur, quod partim elevatione thoracis (1), ope musculorum inspirationi inservientium (2), partim contractione diaphragmatis, partim expansione ipsius systematis trachealis (3) persicitur: sic quoque in oscitatione fieri solet, et pari ratione ascendentे thorace, descendente dia phragmate, se denique contrahente trachea ex spiratio succedit.

§. 4.

Sed multifaria ratione oscitatio a sana re-

(1) Magendie Physiol. T. I. p. 267.

(2) Troxler, Versuche in der organischen Physik. Jena 1804. 2.

(3) C. E. Weltzien, Diss. de pulmonum autenergia in organico respir. mechanismo, Dorpati 1819. 18.

spiratione et a modo, quo haec ordinarie fit, recedit. Quare necesse est, ut primo motus, quos observamus, describam, deinde horum singularium motuum ad ordinariam respirationem exponam relationem. In describendis autem motibus, de quibus hic loci sermo instituendus est, cum sequar ordinem, ut primo motus primarios enumerem, deinde ad eos per veniam, qui solummodo ex primariis oriuntur.

Ad primarios motus refero:

1) Dilatationem oris, quae fit:

a) deductione maxillae inferioris, quae verosimiliter partim ab expansione (4), vel saltim relaxatione musculi temporalis, mas seteris et pterygoidei interni (5), partim a contractione digastrici mandibulae de pendet, et quae saepe adeo vehementer fit, ut luxatio vel subluxatio sequatur (6); quare subjecta, quibus frequentior oscitatio accidit, admonendi sunt, ne indul geant nimis huic motui, os nempe nimum quantum expandendo et aperiendo, sed huic motui paululum resistant (7).

(4) Conferatur Es'march §. III.

(5) J. G. Gunzius de oscitatione. Lips. 1738. §. IV.

(6) Hermann §. 16.

(7) Czerniewski §. XXIII.

- β) Contractione levatoris labii superioris, zygomatici majoris et minoris, levatoris anguli oris, buccinatoris, depressoris anguli oris, risorii santorini (8).
- γ) Forsitan expansione ipsius orbicularis oris.
- 2) Dilatationem faucium, quae efficitur:
- α) ossis hyoidis annexique laryngis tam depressione, quam utriusque anteriora versus protrusione; id, quod intumescentia colli, quam aspectu observamus et tactu facillime percipimus, citra dubium ponit;
 - β) expansione constrictoris pharyngis superioris.
- 3) Elevationem veli palatini, quam contractione levatoris palati mollis producit. Contingit autem talis elevatio, refrorumque attollitur velum palatinum, quoties solo ore, patulo licet naso, spiritum ducere conamur (9).

§. 5.

Motus secundarios puto:

- 1) Varias faciei et lineamentorum mutationes, quae a contractione muscularum in de-

(8) J. Barclay the muscular motions of human body. Edinburgh 1808. 8. p. 465.

(9) B. S. Albinii h. m. b. C. LX.

ductione oris activorum vel mediate vel immediate dependent; etenim pinnae nasi moventur, ipsae genae a contractione zygomaticorum variis plicis corrugantur (10), nec non supercilia ad se inyicem adducuntur, atque oculi vel in totum vel ex parte clauduntur, nec raro tam vehementi orbicularis palpebrum contractione, ut glandulae lacrymales adficiantur et lacrymarum effusio fiat (11).

2) Dum mandibula a maxilla superiori deducitur, non potest non fieri, quin partim a ramo mandibulae, partim a musculis sese contrahentibus (12) glandulae salivales comprimantur et saliva expressa largius in os profluat (15).

§. 6.

Dum ea, quae in oscitatione contingunt, consideramus, et cum singulis respirationis saepe et tranquillae phaenomenis comparamus, sequentia veniunt notanda:

- 1) Inspiratio in oscitatione fit per os, cum tamen regularis et perfecte normalis inspiratio

(10) J. D. Czerniewski §. VI.

(11) G. Esmarch §. IV.

(12) Haller El. Phys. L. XVIII. S. II. §. 41.

(13) Czerniewski §. 6. — Beutler §. 16.

per nares fiat. Duæ enim solummodo mili cognitae sunt occasiones, quæ ad inspirationem per os impellunt, primo propria voluntatis determinatio, et secundo narium obstructio, quam passim muci copia, præcipue autem in primo catarrhi narium stadio intumescentia membranæ mucosæ Schneiderianæ producit. Introque autem casu facile percipimus, quam difficultis et aliena sit talis inspirationis ratio: cum enim voluntarie per os inspiramus, post breve tempus lassitudinem veli palatini a contingenti nimis contractione levatoris palati molli ortam persentiscimus; cum autem ob impedimentum aëris per nares transitum coacti per os inspiramus, mox praeter lassitudinem veli palatini sensu gravifatis imo anxietatis afficimur, et in somno oritur singularis strepitus, quem rhonchum dicunt, ab agitato et tremente palato molli proveniens; cum natura diminuto voluntatis imperio per nares inspirationem petat, quæ difficilior ab obstaculo in naribus posito redditæ jam cum inspiratione per os vel alternat, vel coincidit, unde sit, ut ab aëre e duabus regionibus adveniente velum palatinum agitetur.

§. 8.

2) Interim oscitatio a sola per os volun-

taria inspiratione mirum quantum recedit, et quidem duobus præcipue modis:

a) Tantum abest, ut oscitatio incipiat a dilatatione oris, ut potius ea sit sequela alijs conaminis naturæ, cum quo vi nexus sympathici solummodo cohaerere videtur. Accurata enim oscitationis consideratio et attenta observatio me docuerunt, primum oscitationis conamen in fauibus nasci. Quando oscitationis natus percipitur, sine dubio singularis faucium dilatatio, a sensu quodam gravescente (§. 10) concomitata, contingit (§. 4). Velum palatinum non solum attollitur, sicuti in quavis inspiratione per os, sed longe majori vi retrorsumducitur et tensum supra fauces expanditur, os hyoides et larynx non minori violentia antrorsum et deorsum rapiuntur, imo, ni me omnia fallunt, ipse pharyngis constrictor superior sese expandit (14). Quæ expansio eo magis a statu ordinario recedit, cum communis talis, qualem quidem deglutitio postulat, non fieri possit, nisi sursum et antrorsum ducto larynge, cui motus rationi nonnisi ore clauso, locus est. Vehemens iste et in omni oscita-

(14) Non me fugit Cl. Rudolphi gravissimum esse motuum expensoriorum, de quibus recentiores physiologi plurima locuti sunt, adversarium: at hic non est locus, hac de re disputandi.

tionis mechanismo primarius motus tanti est momenti, ut dilatatio oris non solum eum sequatur, sed in ipso oscitationis momento voluntatis imperio ita possit coerceri et moderari, ut levis modo oris diductio contingat.

§. 8.

β) Thoracis cavum in oscitatione quidem ampliatur. Ast si eam dilatationem, quae in oscitatione fit, cum illa comparamus, quae violentam alioquin inspirationem comittatur, qualis v. c. in suspirio locum habet, insigne sati superque discrimen patefit. Etenim pro magna vi, quam oscitantes ad inspirationem impendimus et pro larga aëris, quem haurimus, copia, admodum exigua est, praecipue in primo oscitationis stadio, thoracis dilatatio; imo minor organorum respiratoriorum exterritorum expansio fieri videtur, quam in ipsa inspiratione regulari. Parum thorax elevatur, parum et ad latera deducitur, imo permanens inter oscitationem abdominis contractio, vix diaphragma descendere, probat. Unde etiam anhelitum inter et oscitationem discrimen patef.

§. 9.

Inspirationem largiorem per fauces et os non statim excipit exspiratio; sed videmus sub

finem oscitationis etiam thoracem sensim in consensum vocari, et dilatationem faucium expere perfectam expansionem organorum respirationi inservientium, neque prius, quam hoc factum sit, exspirationem, lentam quidem, sed profundam, sequi. Quare tria in oscitatione stadia distinguenda veniunt. In primo stadio inspiratio per meram oris et fauicium dilatationem perficitur, sensusque gravitatis et oppressionis adest; in secundo stadio sensus gravitatis et oppressionis cedit, et dilatationibus in primo stadio factis sese associat expansio systematis trachealis et thoracis, qualis in quavis inspiratione locum habet; mutatae sic inspirationis rationi succedit exspiratio, cui nil singulare inest; et quae successiva fauicium contractione orisque occlusione, quae in secundo stadio jam inceperunt, perficitur.

§. 10.

Immediate oscitationi praecedit, ejusque inchoamentum sive primum stadium comittatur obtusus quidam in pectore et fauicibus sensus, qui in pectore primo observatur, inde ad fauces ascendere, denique ad os et simul ad regionem circa mandibulae articulationem propagari videtur, et ab incipiente procul dubio expansione provenit.

In oscitationis acme auditus imminutionem fieri observamus (15), quod aptius ab aëris per tubam eustachianam in cavum tympani intrusione, unde etiam crepitus inter oscitandum plerunque perceptibilis provenit, quam a compressione meatus acustici externi per deductae mandibulae ramum autores explicant.

§. 11.

Phaenomenis demum ad oscitationem pertinentibus adnumerari potest sonitus quidam veluti levis ululatus, quem largiter oscitantes in secundo oscitationis stadio, ubi inspirationi exspiratio succedit, edunt.

Juxta Sanctorium (16) oscitationem quoque concomitatur adacta perspiratio insensibilis; monet tamen Gorter (17), se non expertum esse, hominem hoc tempore multum insensibiliter evacuare, saltem si quod fiat perspirationis augmentum, id non majus esse, quam in alia muscularum actione.

(15) Lossius §. 12. — Hermann §. 8.

(16) De insensibili respiratione aphorisma, Aphor. 74 et 340.

(17) De perspiratione insensibili p. 291.

§. 12.

Expositis sic carptim strictimque oscitationis phaenomenis jam ad causas, quae oscitationem excitant, et ad circumstantias, quae oscitandi occasionem praebent, pervenimus.

§. 13.

Causas oscitationis dividimus in *naturales*, quae in sanis hominibus ordinarie vel ad oscitandum impellunt vel saltem oscitandi nisum provocant, et in *morbosas*, quae, cum statui cuicunque morbo sese associant, phaenomenon oscitationis producunt.

Ad naturales causas refero, et quidem

a) ad occasioales

1. Somnolentiam, quam frequentissimam esse oscitationis causam in valgus notum est; nam non solum plurimi hominum vel ingruente somnolentia, vel quando expurgiscuntur, oscitant; sed etiam sub his circumstantiis mammalibus tam feris, quam domesticis idem contingere observamus (18).

2. Lassitudinem, defatigationem tam cor-

(18) Lossius c. II. §. 10. — Beutler §. 22. — Hermann, §. 6.

poris, quam animi et otium (19); lassitudini etiam adscribendam esse frequentiorem oscillationem in foeminis instante menstruatione observatam (20).

3. Ventriculi vel impletionem (21), unde frequentior post largiorem coenam et copiosius prandium oscillatio, vel inanitionem, unde famis non raro comes existit.

4. Frigus externum, tam per se, quam cum fame, per validum corporis exercitium orta, conjunctum (22); unde celebris illa oscillatio, quae in septentrionalibus regionibus hominibus, praesertim juvenibus calcis ferratis induitis glacialia hiemis aquora percurrentibus bulimum concomitans saepius accidit (23).

5. Imaginationis vim et in imitando pronitatem (24); notum enim est proverbiu: „Oscitante uno oscitat et alter.“ Interim si

(19) *Lossius* c. II. §. 11. — *Esmarch* §. 6. — *Aristoteles* I. de somn. et vigil. c. 3.

(20) *Danz allgemeine medicinische Zeichenlehre*, neu bearbeitet von Heinroth. Leipzig. 1802.

(21) *Czerniewski* §. 22. — *Lossius* c. II. §. 13. — *Aristoteles* de somn. et vig. c. 1.

(22) *Günz* §. 18. — *Lossius* c. II. §. 14. — *A. vi. cenna, canon. med. Lib. I. Sect. II. Cap. XIII. de pandiculatione et oscillatione.*

(23) *Haller El. Ph.*

(24) *Lossius* c. II. §. 4. — *Czerniewski* §. 21.

verum fateri licet, hoc proverbiu, quod repetita vulgari observatione certe non caret, singularem hominum oscillantium inter se relationem, et oscillationis, ut ita dicam, vim contagiosam minime probat; recte enim Alberti (25) monet, ut plurimum ejusmodi oscillantes quoad certas circumstantias inter se convenire aut cum affectu et attentione se invicem intueri, aut ufrumque eorum aliquo animi languore laborare, aut ventriculum ingestis oneratum continere, ut interveniente intentiori et curatiori intuitu ob reliquam propensionem oscillatione se invicem excipiant. Interim vis sympathetica oscillationis etiam in animalibus observatur; sic *Lossius* (C. II. §. 5.) ait: novimus canes, qui quoties vident homines oscillantes, simul et ipsi oscillant.

β) Ad praedisponentes

1. Aetatem infantilem (26); experimur nempe tam neonatis quam lactentibus communem esse oscillationem, idemque observamus in bestiis junioribus et in ipsis avium pullis, qui adultiores rarissime oscillant.

2. Temperamentum phlegmaticum et hystericum, cuius rei exemplum praebet foemina

(25) *Alberti* p. 36.

(26) *Günz* §. 17.

42 annorum, de qua Lanzonius narrat, perpetua oscitatione cum fletu conjuncta laborans.

3. Assuetudinem, unde forsan vitium ab A. Gellio „oscedo“ dictum originem dicit,

4. Praeter praecipuas naturales oscitationis causas etiam ingravidatio est annumeranda, quam quoque Hippocrates (27) adduxit, cum de conceptionis signis loqueretur, et de qua re etiam omnes recentiores (28) diyo Coo consentiunt.

§. 14.

Morbosam oscitationem observamus vel pathognomicum cuiusdam morbi signum, vel ordinariam ejus comitem, vel frequentem saltem cum quibusdam affectionibus conjunctam, sic

1) In febribus (29), praeprimis intermittentibus, potissimum vero febribus tertianis et quartanis, ubi aegroti ad paroxysmi recursum frequenter oscitant, et sic haec oscitatio in

(27) De superfoetatione, Tom. II, §. 9.

(28) Gunz §. XIX. — Esmarch §. VII. — Danz p. 118. „Gähnen nach gehabtem Beyschlaf deutet auf Empfängnis.“

(29) Hippocrates, Lib. de flatibus §. XII, text. 1. inquit: „Oscitatio praecedere solet febres.“

primo accessu paroxysmi frigoris constituendo adjuvat (30). Inde etiam a nonnullis illae febres, in quibus oscitatio saepissime repetitur, febres oscitatoria, peculari notatione nominantur (31).

2) In plurimis nervorum affectibus, qui v. g. sunt:

a) Epilepsia (32); constant enim casus, ubi epilepsiae recurrentis accessus aliquando praeter torporem gravativum capitis, tensionem obscuram nugae, temulentam sensum obscuritatem, insolitam siccitatem faucium et narium, deglutitionem impeditam, gravitatem linguae, balbutiem, propensionem ad somnum, etiam molesta oscitatione magis ~~fata~~ subjecta, donec ipse convulsivus affectus ea occupavit. Exemplum hujus rei nobis prodit Esmarch (33). Cl. Medicus narrat de puero, qui oscitatio ne periodica singulis diebus circa horam quintam revertente laborabat, quin illum aliud adfuissest febris signum (34).

(30) Czerniewski §. XII. — Gunz §. XIX. — Hermann §. XVIII.

(31) Esmarch §. IX.

(32) Czerniewski §. XXII. — Gunz §. XIX. — Hermann §. XX.

(33) Esmarch §. X.

(34) Medicus Geschichte periodischer Krankheiten. Lib. I. cap. II. §. XXXIV. Karlsruhe 1764.

b) Hysterici paroxysmi. Crebriorem in hystericis foemellis oscitationem et pandiculationem satis frequenter paroxysmos hujus mali recurrentes indigitare observamus, ita ut, si saepius jam tales foemellae hoc malo fuerint adflictae, pathognomicum fere novorum insulatum constitutum signum (55); sic quoque monente Sprengel (56) ante hemicraniam oscitatio saepius animadvertisitur.

5) In hypochondriorum affectibus et arthritide, quibuscum in nonnullis casibus et subjectis molesta illa ac praeternaturalis oscitatio appetet (57).

4) In gravioribus vulneribus, haemorrhagiis et capitis affectibus; quicunque nempe syncope moriuntur, ante obitum crebrius oscitant, et etiam apoplecticos insultus oscitationes praecedere solent (58). Huc etiam referenda est oscitatio post venaesectionem instante praepri-
mis syncope.

5) In empyemate, pulmonum vomicis, praecipue pericardii et cordis ulceribus, scyrrhis, viscerum putredine et sphacelo, quibus

(55) Czerniewski §. XXII.

(56) Handbuch der Semiotik, Halle 1801 §. 613.

(57) Esmarch §. VIII.

(58) Gunz §. XIX. — Hermann §. XX. — Czerniewski §. XXII.

saepissime supervenientes oscitationes mortis prodromi sunt (59).

6) Quandoque oscitatio concomitatur via-
tia organica, ad quae praeprimis referenda
sunt plurimae herniarum species, ani uterique
procidentiae vel prolapsus (40).

7) Non raro etiam attenta observatio os-
citionem symptomaticam offendit, ubi largior
adstrictio alvi flatumque retentio, spasmi in
abdomine, infarctus viscerum abdominalium
adsunt; quod etiam evenit in ictero et vomitu
cruento, cui oscitatio comes esse solet (41).

8) Praeterea sub curafiori observatione
innotescit, oscitationem cum vermis intesti-
na vexantibus satis saepe concurrere solere (42).
Oscitabat puer, qui moriturus videbatur, quum
vermis sex pollices longus per oesophagum et
fauces repereret (43).

9) Proinde etiam referunt historiae, osci-
tationem aliquando morborum epidemicorum
pestisque lethale signum et praesagium exti-
tisse, quemadmodum idem de sternutatione,

(59) Gunz §. XIX.

(40) Gunz §. XIX.

(41) Esmarch §. VIII.

(42) Esmarch §. VIII.

(43) Starke, Beobachtungen.

singultu etc. aliis in casibus atque temporibus observatum fuit. Cujus observationis testimonium producit *Wolfius* (44), quod aliquando Romae oscitantes subito exticti fuerint (45); sic etiam *Sprengel* de oscitatione ut signo instantis mortis in peste, dyfenteriis malignis et febri flava testatur.

10) Notum quoque est, oscitationem ab exanthematicis provocari, eorumque efflorescentiam saepissime indicare (46).

11) Tandem nobis videtur notatu dignum, mentionem facere de oscitatione, quae partus tempore fit, et testibus *Gunzio* (47) et *Roederer* (48) parturientis labores intercipit et turbat, parvumque difficultem reddit, et si crebrior fuerit, magnum uteri languorem significat, gravissimaeque aut lethiferae etiam futurae gangraenae, vel uteri haemorrhagiae subinde index est. *Gunzius* etiam exemplum nobis tradit de puerpera gravius oscitante, quae cum infante et secundis tantam sanguinis copiam ex utero profudit, ut altero

(44) *Wolf*, Lectio memorab. Tom. I. p. 537.

(45) *Czerniewski* §. XXII. — *Esmarch* §. X.

(46) *Danz Semiotik* §. 105.

(47) *Gunz* §. XIX.

(48) Cf. *Roederer* in *Diss. de oscitatione in enixu*.

horae momento animam quoque efflaret. Consentit etiam *Plinius* (49) asserens, oscillationem in enixu lethalem esse, et quod ex *Solinio* additur: „*Lethali mora oscillatio suspendit puerperia;*“ quidquod mediculosae suspicaces et sollicitae mulierculae in puerperis fusces, sternutationes et oscillationes expavescunt, quia singulae hae commotiones certis sub circumstantiis laeso utero omnino praejudiciosae et perniciose existunt (50).

§. 15.

Theoriae.

Plurimum inter se differre physiologos in explicandis oscillationis momentis, et in expoundenda hujus phaenomeni ad vitalem processum relatione, ejusque cum aliis vitae phaenomenis connexione, is facile divinabit, quem non fugit discordiarum cohors, quibus nostra adhuc aetate res physiologicae premuntur, et qui considerat, quam intimo nexu cujuscunque phaenomeni vitalis expositio cum cognitione omnium legum, quas organismus sequitur, conjuncta sit. Hinc nemo mirabitur, ubi offenderit, non solum theorias oscillationis

(49) *Histor. Natur. Lib. VII, cap. VI.*

(50) *Esmarch* §. X.

temporis, quo conditae fuerunt, vestigia ostendere, sed etiam recentissimos Cl. Cl. V. V. labores in enucleanda oscitationis natura non omni halucinatione esse liberos. Quare etiam benevolus lector condonabit, si in sequentibus invenerit, et a me neutquam omni, quae fieri possit, postulationi satisfactum fuisse. Interim juvat theorias, quatenus mihi innotuerunt, ex ordine temporis enarrare, easque critico submittere judicio, ut appareat, quae facta sint tentamina, quaeque ulterius facienda restent.

§. 16.

Nota est Cl. Galeni opinio, qui fuligines et vapores musculos mandibulae, ut explodantur, suscitare putabat, dicens⁴⁴ oscitare et pandiculari contenta aliqua in muscularis, per quos tales sunt motus, quos pandiculationem et oscitationem nominamus, vel humiditate flatuosa, vel spiritu vaporoso fieri, est a nobis demonstratum (51).⁴⁵

§. 17.

Ex A. de Haller sententia, quam plu-

(51) Confer. Beutler §. 45.

mi recentiorum physiologorum secutisunt, (52) oscitatio est molimen naturae, quod oritur, si lentior per pulmones sanguinis motus fit, ut cum solitis inspirationis viribus per id viscus circumire nequeat. Primo igitur ex lentiori sanguinis progressu incommodum et quasi pondus percipitur, inde succedit salubris instinctus, qui ad largiorem apertis januis aëris haustum impellit, ut, quasi ad Hookiani experimenti similitudinem per pulmonem quam distentissimum sanguinis iter quam facilium fiat.

Juxta hanc theoriā oscitatio recipsa a suspiriis non differret, et, si qua adesset differentia, ea mere formalis foret, cum notum sit, longe sub aliis circumstantiis et a diversissimis causis utrumque phaenomenon dependere, et ex iis, quae de phaenomenis oscitationis protuli, pateat, quantum a suspirio haec differat; suspirium nil est, nisi major et prolongata naturalis inspiratio, quam brevis sonora exspiratio suscipit, cum e contra in oscitatione, saltem ab initio inspiratio po-

(52) Sufficiat notasse Cl. Sprengel institutiones medicæ T. I. p. 491, et Cl. Lenhossek institutiones physiologiae organismi humani usui academico accommodatae, T. I. S. V. §. 308.

tius impedita sit, et ea libera phaenomenon terminetur. Taceo, nullis argumentis posse probari, reapse causas oscitationem procreantes congestionem sanguinis in pulmonibus ejusque transitus difficultatem subsequi, et sanguinis cursum extensione pectoris promoveri.

§. 18.

Ab Halleri sententia recedit Cl. Senfft (53), qui ad ventriculi affectionem oscitationis phaenomenon refert. Huic opinioni favent, quae Cl. Döllinger (54) de oscitatione ait; juxta quem oscitatio a praeponderantia vitae vegetabilis oritur, quae contingit, ubi depressio vitae animalis ob ingruentem somnum vel ob lassitudinem adest. Proxima autem oscitationis causa est abdominis, vitae animalis organa praecipua condensis, in respirationis organa influxus, qui, ubi excedit, tam capitis ad respiratoria organa relationem minuit, quam ipsum spiritus hauriendi modum ita invertit, ut ore, parte ad functio-

(53) Actio viscerum digestioni famulantium Präss. A. A. Senfft resp. Mohr. Wuersburgi 1789. 8.

(54) Grundriss der Naturlehre des menschlichen Organismus. Bamberg und Würzburg. 1805. 8.

nes vegetabilitatis potius pertinente, non naso, ordinario inspirationis instrumento, aër attrahatur.

§. 19.

Parum a theoria Doellingeriana differunt, quae Cl. I. Walther (55) protulit. Ipse enim oscitationem pariter a vita vegetabilis ad vitam animalem relatione dependere prohibet, eamque contingere affirmat, quando vita vegetabilis, ficuti in somno fit, praevalat, imminuta interim vita animali. In eo tamen Waltherus a Doellingerio differt, quod huic oscitatio potius passivum statum indicet, ille autem oscitacioni molimen naturae criticum inesse contendat, eamque contingere credit eum in finem, ut ingruenti somno reluctemur. Haec si consideramus, videmus, Waltheri theoriam ex altera parte cum illa Halleri convenire, utpote utramque oscitationem auctam et ampliatam respirationem habere.

§. 20.

Similem theoriam, jam ante Waltherum,

(55) Allgemeine medicinische Annalen auf d. J. 1816. H. Februar.

excoluit Bartels (56); juxta hunc Cl. Auhorem oscifatio a praeponderantia systematis gangliaris, quod vulgo organon vegetationis habent, et depressione systematis cerebralis, imaginario animalitatis organo, efficitur, ita tamen, ut sistema cerebrale reagendo contra molimina systematis gangliaris motus oscillationi proprios producat. Ait Cl. A. pag. 205: „Um besser auf die Spur zu kommen, wollen wir zuerst das Gähnen in seiner gewöhnlichsten Erscheinungsweise, nämlich als Begleiter der Müdigkeit betrachten. — Bey der Müdigkeit ist ohne Zweifel die Hirnaction in einer gewissen Aspannung; und daraus ließe sich das Nachlassen der die Expiration anfordernden Nerventhätigkeit, so wie das Ueberwiegen der auf die Inspiration hinwirkenden Thätigkeit des Rueckenmarks leicht herleiten. — —

Es tritt ja bey der Müdigkeit das sympathische System zum höhern Nervensysteme in ein anderes Verhältnis, als worin es beim vollkommenen Wachen war. Wir sagen aus-

(56) Die Respiration als vom Gehirn abhängige Bewegung und als chemischer Proces, nebst ihren physiologischen und pathologischen Abweichungen, untersucht von D. Ernst Bartels. Breslau 1813. 8.

drücklich: es tritt in ein anderes Verhältnis: und nicht: es ist in einem andern Verhältnisse. Denn dies Bleiben und Feststehen des gegenseitigen Zustandes findet zwar wohl beim wirklichen Schlafe, aber noch nicht bey der Müdigkeit statt, die eben in einem Schwanken zwischen Wachen und Schlafen und folglich auch in einem Schwanken zwischen dem zu dem einem und dem zu dem andern gehörigen Zustande und innerem Gesamtverhältnisse des Nervensystems ist. Das sympathische oder Gangliensystem ist bestrebt, das Uebergewicht, womit es während des Schlafes (wie die Physiologie sattsam erwiesen hat) in der That wirkt, zu fixiren; das Cerebralsystem aber ist noch energisch genug, jenem Uebergewichte zu widerstreben, und so sind Cerebralthätigkeit und Ganglienthätigkeit (man erlaube der Kürze wegen diese leicht verständlichen Ausdrücke!) in einem Kampfe begriffen, aus welchem das Gähnen eben hervorgeht. — Zunächst wird nämlich das Rückenmark, das überhaupt mit dem Gangliensysteme in der stärksten Verknüpfung und Wechselwirkung steht, durch dessen anwachsende Thätigkeit irritirt; es reagirt also auch zunächst. Die Folge seiner gewaltsam aufgeregten Thätigkeit ist vermittelst deren Rückwirkung auf die Nerven des Zwerch-

muskels und der Zwischenrippenmuskeln jenes plötzliche starke Einathmen, womit das Gähnen anhebt; welches natürlich kräftiger seyn muss, als das beym Seufzen, weil bey diesem nur durch die gestörte Hirnaction, hier aber zugleich durch das verstärkte Einwirken des Gangliensystems das Uebergewicht der Action des Rückenmarkes entsteht. — Letztere regt nun (und zwar eben wegen dieser besondern Stärke mehr, als beym Seufzen) auch das Hirn wieder an zu seiner Reaction auf die Lungennerven, und es erfolgt hauptsächlich durch diese das zum Gähnen mitgehörende starke Ausathmen, wohey aber zugleich auch der unterste dem verlängerten Marke in seiner Action entsprechende Theil des Rückenmarkes eine kräftige Zusammenziehung der Bauchmuskeln bewirkt. — So kann das Gähnen mehrmals bald nach einander wiederholt werden, bis endlich das Vorwalten der Ganglienaction im Organismus durch gehöriges Nachgeben der Cerebralaction bestimmter und anhaltender geworden ist, und auf die Müdigkeit das Einschlafen folgt. — —

Warum man im Schlaf nicht gähnt, das ist hieraus von selbst klar. — Für das Gähnen nach dem Erwachen liegt der Grund in demselben innern Verhältnisse, nur ist die

Ordnung umgekehrt. Die Cerebralaction sucht sich alsdann wieder zu emanzipiren, kommt aber wegen noch zu starken Widerstrebens der Ganglienaction nicht sogleich zum Zwecke; es entsteht dieselbe Wechselwirkung, dasselbe Resultat. — —“

Pergit Cl. A. p. 207: „Bis hier haben wir nur das Gähnen hauptsächlich vom niedern Nervensysteme her untersucht. Sein Verhältnis zum höhern muss aber auch genauer betrachtet werden. Man hat sich sonst im Ganzen zu einseitig an die Veranlassung des Gähnens gehalten, die in einem gewissen leeren oder faden Seelenzustande besteht, und man warf dann mit der langen Weile die Müdigkeit (so zu sagen) in einen Topf. Indefs kann das Gähnen ohne Langeweile und selbst ohne Müdigkeit entstehen, wenn es durch den innern Zwang, der in den angegehenen Verhältnissen liegt, hervorgerufen wird. Allerdings aber mag, falls dieser Zwang auch nicht gerade bedeutend ist, das Gähnen doch in dem genannten Seelenzustande eine grosse Begünstigung finden, so dass dieser gleichsam ersetzt, was an jenem abgeht. — Insofern nämlich das Hirn, als Organ der höhern Seelenthätigkeit (somit zugleich als Organ der Langeweile) in einer immerwährenden Wech-

selwirkung mit dem Gangliensystem steht, kann das Nachlassen der Action in jenem eine Steigerung derselben in diesem herbeilokken. Der Nerv aber, der jene Wechselwirkung hauptsächlich vermittelt, ist der herumschweifende, durch den folglich auch das Nachlassen der Hirnaction im Gangliensysteme hauptsächlich zur Perception kömmt; und da eben der Nerve zugleich Lungennerve ist, so wird durch seine Abspaltung in demselben Momente der Lunge Freiheit gegeben, sich auszudehnen, wie es heym Einathmen geschehen muß. Zugleich aber reizt die gesteigerte Ganglienaction das Rückenmark, dem Zwerchmuskelnerven seinen Impuls zur contractiven Einwirkung aufs Diaphragma zu geben. — Und so hätten wir im Allgemeinen die Entstehung des Gähnens durch primäre Affection des Hirns und durch Herabstimmung der mit Bewußtsein veknüpften (und mittelbar der bewußtlosen) Seelenhätigkeit. —“ Und quoque patet etiam, Cl. Bartels oscitationem ad actus criticos vel activos potius, quam ad passivos referre; quin singulare commodum in oeconomiam animalem inde redundare putet.

§. 21.

Theoriae oscitationis est:

1) Singularia, quae oscitationi insunt, motus animalis phaenomena explicare, eorumque ad statum ordinarium organorum moventium relationem exponere.

2) Nexus haec phaenomena inter et causas oscitationis occasioales enucleare.

3) Oscitationis ad organismum universum relationem determinare.

§. 22.

Oscitationis sedes absque ullo dubio prima organorum respirationis apparatus est; hinc praincipue actus noster cum inspirationis ordinariae phaenomenis comparandus est, et singula aberrationis momenta ita consocianda sunt, ut viva imago characterem hujus processus exprimens in conspectum veniat. Quam erronea sit eorum Cl. Cl. ceteroquin Virorum opinio, qui in oscitatione nil, nisi auctam inspirationem agnoscant, jam supra in phaenomenorum oscitationis expositione monui. Ni enim vehementer fallor, oscitationi singularis inest contradicatio, cuius profundior indagatio sola nos ad veriorem theoriamducere possit. Profecto ingruente oscitatione insignis oritur inspirandi conatus; tantum tamen abest, ut vehementi conatu larga reapse respondeat inspiratio, ut potius haec ipsa impedita sit; et,

nonnisi superata resistantia, libera fiat, quod si contigerit, simul oscitatio perfecte finita est.

§. 23.

Uti supra monui, oscitatio in faucibus ordinatur, ibique propriam sedem figit; in his igitur illius lactaminis virium moventium, a quo oscitationis naturam derivandam esse censeo, inchoamentum quaeri oportet. Fauces ita constructae sunt, isque est earum cum adjacentibus organis nexus, ut os inter et nasum ex una parte, laryngem inter et pharyngem ex altera parte sitae sint. Quaecunque laryngem vel pharyngem intrare cupiunt, per fauces transeunt, et duplex ad has simul via dicit. Normam tamen certam transitui substantiarum per fauces natura praescripsit, cuius conservatio a nulla alia causa, quam a motu ratione ac directione ipsarum faucium dependere potest. In aprico enim est, aërem per nares plerumque haustum neufiquam pharyngem intrare, sed facillimo negotio ad laryngis aperturam, glottidem nempe, pervenire, ab eaque, uti Cl. Mende (57) nos docuit, singulari dilatatione excipi. Vix est dubium, dum haec

(57) Von der Bewegung der Stimmritze beym Athemholen. Greifswald, 1816. 4.

fiant, simul pharyngem uteunque leni constrictione angustari; saltem in vivo organismo nuspam fere aliqua cujusdam organi expansio contingit, cui non contractio alias partis adjacentis correspondeat; unde conjicio, id esse naturae institutum, ut transitui aëris per nares et fauces ex una parte dilatatio laryngis, ex altera pharyngis constrictio accedat, et hac ratione singularis motuum activorum conjunctorum eidemque fini inservientium acervus oriantur. Contrarium omnino contingit in deglutitionis negotio, quae eo tendit, ut aperto ore hausta nutrimenta apertae pharyngi traduntur, quae igitur pharyngis dilatationem et laryngis stricturam poscit; utraque autem functio non potest exerceri sine faucium dilatatione uteunque leni; id tantum discriminem intercedit, quod in inspiratione incipiens expansio faucium in eam laryngis transeat, in deglutitione autem ad laryngem propagetur.

§. 24.

Praemissis hisce partim ab ipsa observatione probatis, partim ex theoria animalis mobilitatis probabilibus, superstruere liceat oscitationis expositionem.

Incipit nempe hic actus in faucibus, quae dilatantur, prorepitque ad pharyngem incepta

dilatatio, quod aperte laryngis anteriora versus protrusi multatus situs docet; oritur igitur actus deglutitioni quodammodo similis, et in consortium ducuntur aliae partes deglutitioni inservientes, et in his prae ceteris os; sed adest cupiditas aërem, neutiquam cibum suscipiendi, quem dilatatae fauces attrahunt; ast huic semel hausto vix e faucibus exitus patet; primo enim ob expansionem pharyngis clausus vel saltem non nisi cum difficultate aperiendus est larynx, deinde quae pharyngi communica fuit, dilatatio nulla ratione huic propria et regularis est, qualis ad veram deglutitionem requiritur, cum anteriora versus tractus larynx neutiquam, quod quidem ad deglutitionem necessario pertinet, attollatur, sed potius deprimatur: accedit, quod aér haustus tanquam irritamentum alienum pharyngem afficere et contractiones spasmodicas efficeret debeat; quare omnia concurrunt, quae ulterius per os et fauces recepti aëris iter impedian.

§. 25.

Ex dictis patet, inesse oscitationi quid spasmodici; neque enim faucium insignior iusto expansio, neque pharyngis laryngisque conjunctae et eodem temporis momento coincidentia inveniuntur.

dentes contractiones perfecte normales sunt, unde etiam oscitationis comitem sensum gravitatis, imo incommodi, derivare convenit.

Solvitur autem spasmodicus status, dum pharynx aperitur aërique liber introitus in asperam arteriam patet; quod quidem ope pandiculationis proferre conumur.

Si quae ulla argumenta probant, oscitationem convulsivi sive spasmodici quid in se habere, sane hoc pertinent morbosae affectiones, de quibus supra (§. 14.) dixi, quibus se facile, oscitatio, tanquam symptoma, associat, vel quae non rare illam habent comitem. Sive enim harum affectionum indolem, sive earum causas species, nemo potest ad motus convulsivos proclivitatem in iis non agnoscere; imo ipsissimis hisce enumeratis morbis non raro quoque aliis generis convulsiones supervenient, sub iisdem circumstantiis saepius quoque lethales.

§. 26.

Dum autem explicare conumur oscitationis ad statum sanum relationem, summae sane se nobis opponunt difficultates; primo enim nullam invenire possumus rationem, cur se praecipue spasmodicus affectus vel lassitudini vel somnolentiae associet; secundo non patet, cur singularis, qualem descripsi, spasmodica affectio fauces et adjacentia organa corripiat; tertio is, quem subponimus laryngem inter et pharyngem, antagonismus, non quidem omni probabilitate caret, attamen vix firmioribus potest probari argumentis.

Quum haec ita se habeant, liceat generaliora quaedam adducere momenta, quorum forsan

consideratio quodammodo ad theoriam naturae consentaneam ducere potest. Non est dubium, cutem inter et sistema tracheale esse consensem, frequentissimis observationibus probatum. et per anatomiam comparatam luculenter demonstratum. (58) Similis etiam, sed alias generis consensus tractum cibarium inter et cutem obtinet, qualem primarium dicere liceat, cum in omni animali fere characteristicus sit, et ab oppositione superficie internae nutrientis, et externae partim respirantis, partim exhalantis dependeat; sed tertium etiam adest consensus genus, nempe organa respiratoria inter et canalem cibarium e duobus anterioribus compositum. His praemissis liceat contendere, oscitationem a conditione cutis dependere, et probabiliter transpirationis insensibilis imminutionem proximam esse ejus causam occasionalem. Depressam sic transpirationem a spasmodica cutis affectione probabiliter comitatam excipit spasmus pharyngis laryngisque, quem dilatatio faucium orisque deductio solvere conantur; dum hoc fit, profundior sequitur inspiratio, largiorque restituitur, teste Sanctorio, transpiratio insensibilis. Oscitationem igitur dico, spasmodicam laryngis pharyngisque stricturam una cum molimine ope largioris hausti aëris copiae eam solvendi.

Non negamus, multa adhuc superesse, quae exponi de hoc actu possint, sed haec pauca pro nostro proposito de oscitatione dicta sufficient; adque sic

“Ancora de prora jacitur, stant littore puppes.,,

(58) Conferatur Fouquet de organi respiratorii in animalium serie evolutione. Halae 1816. 8.